

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**


**Disputatio Theologica In Undecimum Et Duodecimum  
Caput S. Matthaei**

**Pfaff, Johann Christoph  
Mader, Johannes  
Hölderlin, Johann Christoph**

**Tubingae, 1714**

**VD18 15034860-ddd**

[urn:nbn:de:bsz:31-130569](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130569)



60 A 2691,1

EX  
BIBLIOTHECA  
ILLUSTRIS  
CAROLI HESYCHEI.

657/23

28=6

DISPUTATIO THEOLOGICA  
 IN  
 UNDECIMUM ET DUODECIMUM  
 CAPUT  
 S. MATTHÆI,  
 QUAM  
 ΣΤΝΘΕΩ.

AC  
 PRÆSIDE  
 DN. JOH. CHRISTOPHORO  
 PFAFFIO,  
 SS. THEOL. DOCT. ET PROFESS. P.  
 ORDINARIO AC ECCLESIAE DECANO

Defendent  
 M. JOHANN MADER, Tubing.  
 M. JOH. CHRISTOPH. Hölderlin / Aichschiefs.  
 M. WILHELMUS PFISTERER, Königensf.  
 SS. Theolog. Studios.

Ad Dies Junii.

---

TUBINGÆ,  
 TYPIS VIDUÆ GEORG-HENRICI REISL,  
 ANNO MDCCXIV.

DEPUTATIO THEOLOGICA

UNIVERSITATIS HUMBOLDTIANAE

CAPITULUM

SEMPER PARATI

ZINCO

UNIVERSITATIS HUMBOLDTIANAE

DEPUTATIO THEOLOGICA

UNIVERSITATIS HUMBOLDTIANAE

DEPUTATIO THEOLOGICA

UNIVERSITATIS HUMBOLDTIANAE

DEPUTATIO THEOLOGICA

UNIVERSITATIS HUMBOLDTIANAE

DEPUTATIO THEOLOGICA

UNIVERSITATIS HUMBOLDTIANAE



## CAPUT S. MAT- THÆI XI.

Verf. I.

**E**T factum est quum finem fecisset JE-  
SUS non docendi sed tantum disponendi. \*  
In Ecclesiâ omnia fiant *κατὰ τάξιν* 1. Cor. XIV.  
v. 40. nec pervertenda hæc est ab *αὐτοκλήτοις*.  
Jer. XXIII. v. 21. XII. discipulos, 4 digressus  
est illinc ceu visitator conf. Act. XV. v. 36. Ministros verbi  
præconio defunctos subsecutus ipse, ut doceret in Scholis  
ceu publicus Doctor & prædicaret prædicantis *ἔργον* est *καλὸν*  
1. Tim. III. v. 1. cujus pudeat neminem. Rom. I. vers. 16. in  
urbibus Galilæis ipsorum discipulorum. \* Distincta sunt  
Munia docere in Scholis, & prædicare seu pascere gregem. E-  
phes. IV. v. 11.

II.

Johannes autem cum audisset in carcere in  
quem conjectus fuerat ab Herode Antipâ cap. XIV. vers. 3. \*

A 2

Hæc

Hæc est tùm vis verbi divini carceres quoque penetrans. Jef. LI. vs. 9. 2. Tim. II. 9. 1. Petr. III. v. 16. tum fors fidelium verbi præconum Jer. XXXVII. vs. 15. Luc. XXI. 22. Act. V. 18. XII. v. 4. XVI. vs. 23. opera Christi non nisi à Messia expectanda. Jef. XXXV. v. 5. 6. LXI. v. 11. misit non tam interrogatum quàm spectatum, duos Silam & Carpum, ut videtur Clementi Alex: Nam in ore duorum omne verum. Devt. IX. 15. discipulorum suorum horum maxime habitâ ratione, ut ab ore unice suo pendulos moriturus in Christi Scholam transmitteret. \* Nemo auditores adstringat sibi soli Act. XX. v. 30. sed ableget potius ad Christum 2. Cor. XI. 2.

III.

Dixit non legitur *interrogavit*, posito autem interrogasse, id fecisset non ex ignorantia, Christum enim promissum esse Messiam erat persuasissimus, non demùm ex hæc operum famâ vs. 4. sed pridem cap. III. 17. Luc. I. 41. cap. III. 16. Joh. I v. 29. 30. & per discipulos, hos nimium sibi addictos Minister Johannes ad Christum ablegavit, ut ipsum esse Dominum, ex ejus operibus perspicerent. Joh. X. v. 38. Tunc ille es Omnium quæstionum præcipua est de Christo. cap. II. 1. XVI. 13. XXII. 42. venturus hoc promissi est Messia epitheton. Gen. XLIX. Devt. XVIII. vs. 15. Psalm. XL. 8. Jef. XXXV. 4. Hag II. 7. Mal. 1. Joh. III. 2. IV. 104. an alium expectabimus quam illum scilicet quem expectarunt Gentes conf. Gen. XLIX. 10. Hag. II. v. 7. Ex hac *κοινοποιήσει*, quâ se Johannes ignorantibus accenset, discimus, quòd Ministrum oporteat infirmis fieri infirmum, 1. Cor. IX. 22. Dan. IX. 5. 1. Pet. IV. 3.

IV.

Et respondens JESUS de se ipso testari nolens Joh. VIII. 13. dixit illis: Ite & renunciate Johanni quæ non tantùm verba sed & facta \* Doctor se ita gerat ut ad sua non tantùm verba provocare queat sed & facta. 1. Cor. IX. 3. 4. Phil.

Phil. IV. 9. 1. Tim. IV. v. 12. Tit. II. 4. Jac. II. 14. **auditis**  
 & videtis. Signa vera non præstigiæ sunt nudave glaucoma-  
 ta, sed evidentiâ facta sensus incurrentia, Matth. IX. v. 8. XIV.  
 26. XV. 31. XXI. 20. XXVII. v. 54. Unde non adeo male  
 Walenburchii: *Catholica Ecclesia non credit fide divinâ & ca-*  
*tholicâ ulla miracula qua evenerunt post tempora Apostolorum.*  
 T. I. exam. 3. f. m.

V.

Cœci recipiunt visum Jes. XXXV. 5. *ἰδὲν ἄρας ἤρα-*  
*φῆς*, inquit Irenæus & claudi in ampliacione ambulant,  
 leprosi mundantur Zach. XII. v. 1. & surdi audiunt  
 conf. Luc. VII. 21. mortui resuscitantur. Jes. XXVI. 19.  
 Hof. XIII. 14. Quis hæc ab ullo præstigiatorum impleta asserat cum  
 Celso? & pauperes spiritu Jes. LVII. v. 15. XXI. v. 14. Matth.  
 V. v. 3. evangelizantur. \* Ex miraculis Christi innotuit,  
 ipsum esse Messiam per prophetas promissum. Joh. II. 11. V. 36.  
 VI. 14. VII. 31. 32. 38. 33. X. 25. 37. 38. XI. 42. 44. XII.  
 11. XV. 24. 25. conf. Deut. XVIII. 15. 18. *vid. Curcell. In-*  
*stit. f. m. 334.*

VI.

Et beatus est, E. scandalum est peccatum morale. v. *Osi-*  
*and. C. C. VI. p. 137. & Feurb. Opp. p. 827.* \* Qui non  
 fuerit ut Johannis discipuli Matth. IX. 14. Joh. III. 26. in me  
 offensionis lapide. Psalm. CXVIII. 22. 1. Petr. II. v. 8. offen-  
 sus quâ seu doctrinam 1. Cor. I. v. 23. seu conditionem abje-  
 ctam. Jes. LII. 2. Matth. XIII. v. 57. XXVI. 31. Joh. I. 46.  
 VII. 52. VI. 42.

VII.

His autem abeuntibus causâ innocentum præsertim  
 absentium est agenda, uti h. l. Johannis, Prov. XXIV. 11. 1. Sam.  
 XX. 31. 32. XXII. 13. 14. Jer. XXVI. 16. Matth. XI. 2. 3.  
 XV. 3. XXI. 16. XXVI. 10. Luc. X. 40. 42. XXIII. 41. Joh.  
 B 3 VII.

VII. vs. 50. 51. IX. 25. coepit JESUS dicere turbæ de  
Johanne, Minister benè audiat. Act. XI. 24. XV. 26. XVI.  
2. Eph. VI. 2. Phil. II. 23. 1. Tim. III. 7. 1. Petr. V. vs. 12.  
Quid existiis ad Johannem vivum in desertum visum?  
Hæc interrogatio coactè trahitur à Papæis in laudem peregrina-  
tionum votivarum ad loca sanctorum num arundinem  
(conf. 1. Reg. XIV. 15.) vento agitatum. Minister non  
vacillet sed sibi quàm maximè constet. Eph. IV. 14. Eb. XIII.  
9. Syr. V. 11.

VIII.

Sed quid existiis visuri? hominem mollibus  
vestimentis amictum Verba byssina (qualia Cyro dari ad  
nutum Matris oportuit, apud Plutarch.) nec Johannes B. fecit  
Matth. III. 2. 4. 7. 8. XIV. 13. nec ullus Christi præco genu-  
inus. Jes. XXX. 10. LVIII. 1. Gal. I. 10. ecce qui mollia  
gestant vestimenta, in domibus regum sunt. ex. gr.  
Joseph. Gen. XLI. 42. Mardochai Esth. VII. 15. Daniel. V. v.  
29. Magnæ ita dignitatis symbolum illa sunt, quantum non  
cadit in Ministros Crucis.

IX.

Sed quid existiis visuri? prophetam? Johannes  
non fuit propheta ex præcis Matth. XI. 13. ne dum propheta  
ille scil. Magnus. Joh. I. v. 21. Audivit tamen Propheta. Luc. I.  
76. quod ab utero Spiritu Sanct. repletus fuit quin & Spiritu  
Eliæ prophético actus Luc. I. 15. 17. ac vaticinatus antequam  
natus. Luc. I. 44. dixit vera Joh. X. 41. certe ego dico  
vobis, etiam amplius quam prophetam Moïse qui-  
dem quoad vim thaumaturgicam familiaremque cum DEO  
conversationem sui non habuit similem, Deut. XXXIV. vers. 10.  
Messiam tamen æque ac propheta Vet. Testament.  
quoque reliqui modò prædixit futurum Act. VII. vers. 52.  
Ebr. XI. 31. Johannes B. autem vidit præsentem, ostendit digi-  
to ac

to ac *ἀντιχρῆς* baptizavit, hinc major omnibus prophetis. Matth. III. 13. 14. 15. Matth. IX. v. 11. Luc. VII. 28. Joh. I. 29.

X.

Hic est enim de quo scriptum est Mal. III. 1. IV. 5. ecce ego Pater idem essentia cum Filio, hinc enallage personarum hic & Mal. III. 1. ubi loquitur filius **mitto angelum** *non natura societate sed officii dignitate*, uti insit Hieronymus **meum** Quis itaque aufit cum Herode offendere Ministros, Psalm. CV. 15. Zach. II. v. 8. Angeli enim sunt & quidem tanti Domini Legati, Mal. II. 7. Jes. XXXIII. 7. XLII. 19. Gal. IV. v. 14. Apoc. I. 10. c. II. v. 1. ante faciem tuam qui præparabit viam tuam ante te penitentia præconio Jes. XL. 3. 4. Luc. III. v. 3. 8. \* Ministrorum est viam parare Domino depressa exaltando, Zach. XIV. 10. Jes. XLII. 16. Luc. III. 5. & sublimia humiliando. Jes. LVII. 14. 2. Cor. X. 5.

XI.

Amen dico vobis non est suscitatus inter primæ genitos ordinario naturæ cursa ex mulieribus major officio per duos prophetas prædicto Jes. XL. 3. Matth. III. v. 1. Johanne Baptistâ qui quidem excellebat & miraculoso ex effectis parentibus ortu & Angelico nativitatis nuncio, & domino cumulo & vitæ severioris studio & denique martyrio, in singulis tamen habuit pares minimum unum atque alterum qui autem minimus est, id est: submississimus, conf. Luc. IX. 48. Christus hic intelligitur non quidem quoad personam sed tantum in illo statu in quo infra homines ac Angelos fuit exinanitus. Psalm. XXII. 7. Jes. LIII. 2. Matth. XX. 28. Luc. XXII. 27. Phil. II. 7. Ebr. II. 7. in regno cœlorum id est, in Gratiæ regno seu Messiaë conf. Matth. XIII. v. 11. 24. XXII. v. 2. major est eo paronymo Sponsus. Joh. I. 15. III. 29. V. 36. XIII. 16. Quid si per *minimum in cœlorum regno* vel *minimum in Ecclesia hodie militante* Ministrum intelligas, quod **JESUM**

/ SUM is non tantum natum ut Johannes, sed & mortuum & suscitatum & in caelos evectum & ad dextram Patris sedentem praedicat quo respectu major utique est Johanne, juxta Rives T. II. f. m. 902 Camer. Myrothec. p. 11. Essen. Trium. Crucce. p. 350. & Wits. Oecon. fœd. p. 823. imò & ipsum Chemnitium H. f. 555. b.

XII.

Porrò à diebus Johannis Baptistæ usque nunc regno caelorum vis inferitur βιάζεται apertâ ingruit vi prævio τῷ προφητεύειν eique languidiori contradistinctâ Luc. XVI. 16. æquè ac pridem Regnum terræ Canaan vi occupabatur & violenti avidissimi sc. in conversione suâ, raptores, publicani, peccatores, gentiles &c. Matth. XI. v. 12. Id per saxa per ignes & omnia diaboli mundi que obstacula rapiunt summo Zelo pioque impetu Luc. XIII. v. 24. Jer. XLVIII. v. 10. pertæsis ac torpentibus regni filiiis id præripientes. Matth. VIII. 11. 12. v. Dannh. Th. Consc. l. p. 449. Diss. pec. S. Schmid f. h. l.

XIII.

Nam omnes Ver. Test. prophetæ suis maximè prædictionibus Act. X. v. 43 & Lex Ceremonialis, typis suis, umbris atque figuris Eb. X. 1. usque ad Johannem in cujus diebus regnum caelorum i. e. tam insignis Gratia æconomia per Messia adventum cæpit prophetarunt de Messia adhuc futuro. Nam nec legis Codicis V. T. abolitio hic innuitur sed distinctio tantum præconi in V. T. prophetici quod in prædictione consistit futuri, & Ministerii post Jehannai, quod demonstratione absolvetur præsentis. Imò Legis Codicis V. T. abrogatio h. l. aded non habetur, ut commendetur potius, doceaturque summus propheta legemque inter & Johannem consensus, quod, quem Lex & Prophetæ prædixerunt venturum, eundem Johannes evangelizarit præsentem. Unde non mirum; quod populi majori vi ac ardore ad se corpus rapiant præsens ac conspicuum, quam Judæi umbras captarunt obscuras futuri. Adeoque lex &

❧ Prophetæ tempore Johannis B. antiquari cœperunt, nondum quo ad usum, sed tantum quoad propheticum prædictionum, præfigurationum &c. modum; subsecuto enim complemento, vel præsentem anti-typo omnis s. typi s. prognostici ratio expirat. Legis verò ac Prophetarum usus tum practicus, tum theoreticus adeò non est reflexus aut sublatus, ut illo & ad convincendos Judæos & consolidandos in fide Christianos in hunc usque diem nihil sit efficacius. Luc. XXIV. v. 27. 44. Joh. V. 39. Act. XVII. 11. XVIII. 24. 28. XXVI. 22. Rom. XV. 4. Gal. III. 8. 16. *vid. Spanh. D. E. III. pag. 527. Coll. Bibl. S. Schmid. II. p. 180.*

XIV.

**Et si vultis.** Hæc conditio non eâ est mente accipienda, ac si nostro esset arbitrio relictum credere necne, sed fidem tantum extorquere noluit Christus, quòd hominis testimonio non habuit opus, id tamen innuit, Johannem ejusmodi præconem esse, cujus testimonio fides meritissimo jure adhibeatur. **Recipere veritatem,** i. e. juxta Theophylactum: *si sanâ mente judicatis & non invidiâ,* quod utut non coactum tamen Dei opus trahentis Joh. VI. 44. dantisque velle ac credere Phil. I. 29. II. 13. Ipse Johannes B. est verè Matth. XVII. v. 12. Elias non pristinus Joh. I. v. 21. qui frustra expectatur Matth. XVII. 10. sed ille venturus Mal. IV. 5. in Spiritu Thesbitæ Luc. I. v. 17. conf. 2. Reg. II. v. 9. **Wen Gott schickt / den macht er geschickt.** Matth. X. v. 20. Num. XI. 17. 25. Joh. XX. vers. 21. 22. 23.

XV.

**Qui habet aures ad audiendum,** i. e. facultatem divinitus accepit audita quoque intelligendi; conf. Deut. XXIX. vers. 4. Jef. XXXII. v. 3. XXXV. v. 5. Jer. V. v. 21. Ez XII. 2. Zach. VII. v. 11. Matth. XIII. v. 13. audiat præsertim Eliam præsentem tantis instructum donis. Hoc enim epiphonemate utuntur, qui de re magni agunt momenti ad conciliandam auditorum attentionem. Matth. XIII. v. 9. 43. Marc. IV. v. 23. VII. 16. Luc. VIII. v. 8.

B

XIV,

EVX

XIV. 35. Ap. II. v. 7. 11. 17. 29. III. 13. 22. XIII. 9. Auditionem  
 verbi rem esse non mediam sed necessariam constat ita I. ex objecti  
 personalis extensione, qui vis enim qui aures habet, debet id audire.  
 Pf. LI. v. 2. 3. Ef. VII. 1. Mich. I. 2. II. ex organi hand frustraneâ  
 dispositione: Lev. VIII. 23. 24. Neh. VIII. 3. Pf. LVIII. 5. Joh.  
 VIII. 47. Act. II. 14. VII. 51. 54. 57. III. ex præcepti expressione:  
 Deut. V. 1. Jer. XXII. 29. Hof. II. 1. v. *Luc. in Apoc. f. 157.*  
*Carpzov. Diss. pudent. p. 220.*

XVI

Cui autem ille ego Matth. XIII. 13. 35. assimilabo  
 gentem hanc morosam Math. XVII. 17. quæ præconio flecti  
 nec pœnitentiæ Johannaæ patitur nec meo evangelico? similis est  
 puerulis, qui sedent in foris & acclamant sodalibus  
 suis. Indurati qui sibi desunt ipsi Luc. VII. 30. haud laniores sunt  
 iis, qui puerilia tractant. 1. Cor. XIV. 20. Eb. V. 13. 14. Magna  
 similitudinibus vis inest, non tantum ad instruendum simpliciores, sed  
 & confundendum obstinatos, 2. Sam. XII. 2. 3. Jes. V. 3. Ezech.  
 XXIV. 3. Matth. XXI. 28. 29. 35. 37. 45. Luc. V. 36. XIII. 6.  
 XVIII. 9.

XVII

Et dicunt, tibia lætâ Evangelii 1. Cor. XIV. 7. cecinimus  
 vobis, e. g. ego Christus, Joh. I. 17. & non saltastis non occidistis  
 Luc. VII. 30. lamentati (conf. Matth. IX. 23. fuimus præfixæ ad  
 instar vobis e. g. non tantum Jeremias threnos suos sed sua quoque  
 tristitia pœnitentiæ intonuit Joh. B. sed non planxistis i. e. pœ-  
 nitentiam non egistis. conf. 2. Cor. VII. 10. Verbi Divini duo po-  
 tissimum capita sunt, lex & Evangelium quorum utramque satis effi-  
 cax, neutrum tamen irresistibile, Contumaces enim nec minis moveri  
 legalibus, nec promissis flecti evangelicis addiscunt. Prov. XXIX. 9.  
 Minister suum interim faciat officium instetque *ἀναίσχυντος ἡ ἐνικαιπτος*  
 1. Cor. IV. 21. 2. V. 13. 2. Tim. IV. 2. *vid. F. Schmid Sapient.*  
*p. 984. Picinelli Lumina Reflexa f. b. l. f. 623. e. & Buxtorf. lex.*  
*Palin f. 766.*

XVIII

XVIII.

Venit enim Johannes à Deo missus Joh. I. 6. neque edens panem, sed cibos tantùm minùs usitatos, locustas sc. melque sylvestre Matth. III. v. 4. neque bibens vinum. Luc. I. 5. VII. 33. Quid hoc ad Monachos qui panem imò cupedias edendo vinumque largiter bibendo sua agunt jejunia, sc? ideò dicunt qui consilium Dei contra semetipsum spernunt Luc. VII. 30. dæmonium habet à quo obsessus citra victum extra hominum consortium sustentatur. \* Hoc calumniatorum *ἐργον* est, ut pessimè carpant optima quoque Syr. XI. 33. Matth. XII. 24. Joh. X. 20.

XIX.

Venit filius hominis edens ac bibens vulgariter atque frugaliter cum peccatoribus, Luc. XV. v. 2. itaque dicunt Pharisei satis calumniosè, conf. Psalm. LXXVIII. v. 42. ecce homo edax & vini potor, si ob evangelii præconium tantis fuit oneratus convitiis ipse Magister, quid mirum, si eapropter iisdem manent obnoxii & fidi Ejus Ministri? Matth. V. 11. 12. X. 25. Luc. XXIII. 31. Act. XVII. 18. 1. Tim. IV. 10. Ebr. XI. v. 26. XII. 3. publicanorum amicus & peccatorum. \* Interesse conviviis fas est, exemplo Christi. Matth. IX. 10. 12. Luc. V. 29. VII. 36. XIV. v. 1. 7. 13. 14. XIX. 5. 6. Joh. II. 1. 2. XII. 2. *vid. Brochm. Syst. T. II. f. 88. Feurborn. Anti Ost. p. 426. Aret. Problem. f. 512. Voët Disp. Select. P. IV. p. 392. & uai h. l. vulgo capitur à multis adversativè pro *ἀλλά*, uti & Matth. XII. 39. Act. X. 28. Sapiencia quæ & ex Johannis severitate & Christi comitate diluxit justificata est, id est, pro genuina est agnita atque defensa, sic quippe verbum justificari capitur & Pf. IJ. 6. Jes. L. 8. Luc. VII. vers. 29. XVI. 15. Rom. III. 4. VIII. 33. ἀπὸ τὰ πρὸ obvium est Matth. XII. 38. XVI. 21. Luc. XVII. 25. Rom. XIII. 1. Ap. XII. 6. filiis suis v. XXV. omnibus Luc. VII. 35. i. e. Sapiencia discipulis, hi enim filii audiunt illius. Prov. VIII. 32. Syr. IV. 12.*

Et hunc ita locum intelligunt Tarnov. EXX. p. 465. Stolberg. Exerc. VIII. p. 343. S. Schmid Disp. pec. Hacksp. Not. III. p. 62. Scultet. Observ. cap. XXXIV. & Th. Gataker d. Stylo Nov. Testament. f. m. 51. Aliis autem seu h. l. Brentio quippe, L. Osiandro ac Æ Hunnio quin & Quintetio Syst. l. f. 335. longè aliud videtur, quòd Sapientia nimirum Hypostatica suggillari h. l. dicatur à filiis suis scilicet degeneribus, Jes. I. 4. uti justificare *ματ' ἀνθρώπων* idem sit ac condemnare apud Thucydidem, scriptoresque profanos alios. Hinc gnome: *Sapientia justificata est à filiis suis*; ita redditur ab ipso quoque Luthero: *Sus docet Minervam. Das Ey lehret das Hun. T. IV. Lat. f. m. 323.*

## XX.

Tunc post Zoilos vs. XVIII. & XIX. graviter castigatos coepit increpare & torpentes, quæ ipsum receperant quidem sed non audiverant, Civitates Capernaum, Betsaidam & Corazim, in quibus editæ fuerunt plurimæ virtutes, id est, miracula vs. V. enumerata, quòd non resistissent. Quo majus negligitur beneficium, eo majus ingratos manet periculum. Luc. XII. 47. Joh. XII. 22. Rom. II. 4. 5. *vid Gomar Oppor. f. 55.*

## XXI.

Væ tibi Chorazim. \* Gratia DEI efficax ac sufficiens (Tyrum quippe conversura) est tamen resistibilis, (utpote à Chorazimitis contempta) conf. Prov. I. 24. 28. Ies. V. r. 2. 3. 4. Ioh. V. 40. *vid. Disp. Mæbii p. 534.* Si enim Civitatum harum conversio à Gratiâ quadam dependisset irresistibili, illæ nec temnere miracula nec vè hoc mereri geminum potuissent. Væ tibi Betsaida. \* Elenchus Nominalis satis antiquus est atque tritus, quo quippe & Paulus in Alexandrum, Hymenæum, Philetum &c. fuerat invecus. Nam si \* Nec peccata sunt aequalia, Ezech. XVI. 47. Ioh. XIX. v. 11. 1. Tim.

Tim. V. 8. nec Reprobatio est absoluta sed ob impœnitentiam facta (tum Tyriorum tum Chorazimitarum) quis de hac itaque (ut h. l. Christus) palam loqui, dubitet? \* Matth. X. 27. vid. Meissn. Diss. XII. *Αὐθρ. προεμ. p. m. 31.* in Tyro & Sidone Civitatibus ethnicis sed per notitias naturales, Ecclesiæ viciniam atque famam, imò jam in Chamo sufficienter vocatis, ob cujus ordinariæ gratiæ contentum gratia miraculorum extraordinaria ac indebita ipsis justè fuit negata editæ fuissent virtutes id est, miracula (Luc. XIX. 37.) verbo v. I. prædicato annexa: Ulbi divini enim miracula, ibi & oracula, cum hæc illorum *ἑπαγγελθέντα* sint signacula, Marc. XVI. vers. 20. Animum enim percellunt mortalium, ut faciliùs admittant illi verbum, quod ipsum quoque *δύναμις θεῶν*, Rom. I. 16. Si verò ex solis miraculis Tyriorum pœnitentia fuisset principaliter profectura, negatis miraculis pœnitentia illa fuisset impossibilis, impœnitentia verò excusabilis. Cùm itaque pœnitentia ac conversio Gratiæ verbi tot miraculis confirmatranscribatur, ex viribus non naturalibus prodire intelligitur quæ factæ sunt in vobis. Hæc Gratia quo efficacior fuisset in Tyriis, eo damnabilior in Betsaidâ ejus fuit contentus. Olim in sacco & cinere sacculus quidem atq; cinis fallere possunt hominum oculos, neutiquam verò DEI, Ies. LVIII. v. 5. 6. Pœnitentiam haud fucatam, pœnitentia enim præsertim in cilicio facta atque cinere est vera Iob. XLII. 6. Ier. VI. 26. Dan. IX. 3. Ioh. III. 6. Ios. II. v. 13. usque contextus diminuens aliud suadeat. Imò quam pœnitentiam Christus Betsaidæ verbum prædicatum tot signis confirmando intendit, illa Tyri erat futuribilis. A. veram intendit. E. Nec damnavit Iudæos ob neglectum pœnitentiæ tantum Hypocriticæ, quâ potius exosi redduntur homines. Ap. III. v. 15. Pœnitentia vera autem non consistit in actione pœnali sed detestatione peccati, ac satisfactionis, pœnæque à Christo potius sponsore nostro pro nobis persolutæ fiduciali applicatione, ut vicissim impœnitentia in peccati complacentiâ meritiq; Domini

nici contemptu. Denique pœnitentia Tyrii vera non tantum per hyperbolen affingitur, quod ipsis conditio tolerabilior verè competit, egissent certò. Aliàs & Christus dixisset falsum, quod dictu blasphemum, & Iudai regerere ipsi potuissent: Frustra apud nos miracula edis, nam & apud infideles Tyrios facta fuissent frustra. \* Infinita Christi (etiam exinaniti) perspicacia omnia scibilia penetrat, singularia etiam, positâque hac vel illâ demum conditione futuribilia, ( conf. 1. Sam. XXIII. 11. 12. Ez. III. 6. Luc. XVI. 31. nec tamen iis eripit contingentiam nedum homini libertatem, interim propositionis membra utut contingentia sint, nexus tamen fuit infallibiliter præscitus, quod in contingentibus quoq; oppositorum alterum definitè est verum semper & alterum falsum. Tyri aliàs resipuissent & quidem necessario. v. *Dissp. pecc. f. h. l. B. Wolfflini ac Scherzeri. Act. Remonstr. III. p. 120. Episcop. f. h. l. 67. & Corvin. Censur. Armin. p. m. 690.*

XXII.

Quin imo dico vobis Prognostica futuri sunt manifesta Præscientiæ Divinæ specimina. Jes. XLI. 22 23 Tyro & Sidoni tantâ luce miraculorumque gratiâ non magis tolerabilius erit Ex h. l. impiorum & resurrectio adstruitur & repellitur annihilatio. v. *Compendiol. Cloppenburgii C. VIII. §. 9. p. 379. & Spanh. Vindic. L. XLVII. p. 378. in die Judicii æterni Marc. III. 29 gehennæ Matth. XXIII. 33. quàm vobis tantâ gratiarum divinarum abundantia abusus. \* Ulti impares sunt culpæ, sic & pœnæ. Sap. VI. 6. Apoc. XVIII. 7. Hab. II. 8. Conf. Scherz. Coll. Antisoc. p. 1301. Pasewiz. Theol. Schol. p. 378.*

XXIII.

Et tu Capernaum quæ es usque ad cœlum beneficiis, Matth. IX, i. meo sc. præconio, Marc. I. 21. Luc. IV. 32 Joh. VI. 59. ac miraculis, Matth. VIII. 13. 15. 16. Marc. II. 11. Luc. IV. 23. VII. 10. Joh. IV. 46. sublata conf. Job. XX. 6. 7. de primæ uti motum non dicit localem elatio, ita nec depressio, vid. *Dissp. Curios. II. p. 244. infernum i. e. pulverem & ignominiam, conf.*

conf. Ez. XXXII. 18. 19. per *adlw* enim intelligitur saepe tantum  
 pulvis terræ ac exitum præferim Ies. XIV. 11. 12. 15. si cælo oppo-  
 nitur. Pl. VII. 6. Ies. XXVI. 5. Thren. II. 1. 10. Ez. XXVI. 20. Ob.  
 v. 3. 4. nam si in Sodomis editæ fuissent virtutes. E.  
 efficaces, quæ in te sufficienter factæ. Gratia ita sufficiens  
 & efficax coincidunt. *vid. Hulfem. Anx. Grat. p. 31.* mansissent  
 utique *av* male in vulgatâ redditum est *perforte*. conf. Ioh. VIII.  
 v. 19. XIV. 7. 9 in hodiernum usque diem. Exitum tum  
 temporale tum æternum præverti potest pœnitentiâ 1. Reg. XXI.  
 29. Ier. XXVI. 3. Ion. III. 10.

XXIV.

Quin etiam dico vobis, en omniscentiâ Filio hominis  
 fuerat communicata, & jam in statu exinanitionis, Ioh. XIV. 29 XVI.  
 v. 39. XXI. v. 17 quod terræ Sodomorum, qui tantâ luce,  
 quanta fulgebat inter Iudæos, non gaudebant, sed tantum peccabant  
 contra legem ejusque tabulam maximè secundam, carnaliter,  
 tolerabilius sit futurum. De diversis cruciatuum infernalium  
 gradibus vide Matth. XXIII. v. 14. Luc. XII. v. 47. ut & notas no-  
 stras in Matth. X. 15. in die judicii illo Luc. X. v. 12. adeoque  
 extremo, Iud. v. 7. Quis enim minas (has) de pœnis Sodomorum  
 præteritis cum Celso capiat, & non potius de futuris: quàm tibi  
 Civitatitantiâ hæcenus gratiâ illustri & nihilominus & in legem ejus-  
 que tabulam maximè primam, & in Evangelium, adeoque & spiritua-  
 liter peccanti. \* Effectus Evangelii accidentarius est gravior Contem-  
 ptorum suorum damnatio. 2. Cor. II. v. 16. II. Theff. I. v. 7. *vid.*  
*Gerhard. L. d. Evang. 5. XLVI. f. m. 147.*

XXV.

In illo tempore respondens i. e. occasione illâ oblatâ  
 Matth. XII. 28. XVII. 4. Marc. XI. 14. Luc. I. 60. Jesus post-  
 quam discipuli ex primâ legatione reversi prædicationis suæ successum  
 retulissent, dixit ad Patrem quem inter & homines Mediator est  
 gloriam tribuo Quanto magis est nostrum pro Evangelio gratias  
 agere

agere Deo. Ps. CIII. 1. CXIX. 7. Luc. I. 78. Eph. I. ̄. 1. 2. 1. Petr. I. 3. 4. **Tibi Pater Domine coeli & terræ quòd** pro primâ hâc legatione justè abscondisti Verba activa non semper propositum antecedaneum sed voluntatem & consequentem notant, imò eventum quoque Matth. X. vers. 34. XXIII. v. 31. Joh. 6. 39. Act. XIII. 46. Rom. VIII. 28. 1. Tim. II. 25. v. *Glass. P. S. p. 592.* hâc fidei Mysteria, ̄. XVIII. XIX. spernentibus Luc. VII. 30. Joh. III. 19. VIII. 48. 1. Cor. I. 18. sapientibus ac prudentibus non simpliciter aut verè talibus (Magis enim, Nicodemo totique Areopago Evangelium Deus revelavit imò omni creaturæ) sed tantùm *δοκῆσις* Rom. I. 15. 21. 22. 1. Cor. I. 26. 27. v. *Danh, Hermen. p. 507. & Winstrub. T. I. in Matth. f. 178. b.* Legis peritos tamen ac Philosophos intelligere mavult Episcopus T. II. f. 65. horum ministerio pro primâ præsertim legatione Deum uti noluisse innuens. **Et revelasti cum effectu,** conf. 1. Cor. 21. 26. 27. **Et** pro primâ legatione parvulis simplicibus, humilibus tantamque sibi sapientiam haud tribuentibus, e. g. plebeis ac piscatoribus, uti Angelus Domini illuxerat a sinæ magis quàm Prophetæ. Num. XXII. vers. 23. 31. conf. Zeph. III. 12. Verbi præconium non est commissum Angelis sed mortalibus. Ps. V III. 3. 2. Cor. I V. 7.

**XXVI.**

**Profectò Pater** cuius voluntati placuerat antecedenti cani & non saltantibus v. XVII. id est, miracula fieri etiam non attendentibus v. XX. XXI. XXVIII. quòd ita juxta voluntatem judicariam ac consequentem beneplacitum hoc quidem beneplacitum Chrysostomus ad revelationem tantùm restringit parvulis factam, quicquid autem sit, *εὐδοκία* non omnes semper causas excludit, adeoque semper absoluta non est. v. Rom. XV. 26. nedum h. l. aliàs sapientes non credendo non peccassent; sed beneplacitum DEI implevissent vers. XVII. nec credere potuissent absque præviâ Mysteriorum manifestatione fuit hætenus increpavit Christus ad tibiam non saltantes vers. XVII. id est,

est, Iohannem B. dæmonii v. XVIII. Christum autem luxuriæ infimulantes, v. XIX. & propriâ sapientia turgidos miraculorum contemtores, v. XIX. XX. XXI. adeoque reprobationem tradidisse absolutam nequit, uti vellent Reformati apud Te. \* In negotio salutis nostræ voluntas DEI occurrit I. antecedens commiserationis universalis, Ezech. XII. 32. 2. Petr. III. 9. deinde & consequens severitatis judicialis. Ies. XXIX. v. 14. Ioh. IX. 39. 1. Cor. I. 19. 20. ac dilectionis specialis. Luc. XII. v. 32. 1. Cor. I. 21. Eph. I. 5.

XXVII.

Omnia parvulis revelata, adeoque divina essentia, omniscientia, omnipotentia mihi filio hominis per unionem personalem, conf. Psalm. VIII. 7. Ioh. III. 35. X. 29. XVII. 7. 1. Cor. XV. v. 27. tradita sunt & per æternam generationem (juxta Hilar. Theophylactum ac Euthymium) quâ Filio, qui tamen ne sic quidem minor Patre, uti videbatur Crellio, cum tantum origo Filii à Patre, non verò ulla inæqualitas inferatur à Patre. \* Summa filii hominis Majestas relucet ex patris relatione Ioh. V. 17. 18. humanæ naturæ coronatione, Psalm. VIII. v. 5. 6. & omnium idiomatum divinarum communicatione. Matth. XXIX. 18. & nemo ex se novit Filium, quòd sit is cui omnia sunt tradita nisi Pater particula *nisi* excludit non *ὁμοῦσία* sed *ἕτεροῦσία*, omnia quippe quæcunque DEUS non sunt. Nemo novit nomen *λόγος* nisi *Λόγος*. Ap. XIX. 12. Ergone Pater non item? imò nemo novit quæ DEI sunt nisi Spiritus San. 1. Cor. II. 11. XII. v. 3. E. solus? Ergone Pater & Filius excluduntur? neque Patrem quoad essentiam, personam, voluntatem &c. uti parvulis innotuit quis perfectè novit nisi Filius. Joh. I. 18. III. 13. E. verus DEUS est & cui Filius suo beneplacito non hominis merito voluerit. \* Conversio nostra ex solâ DEI dependet gratiâ. conf. 1. Cor. IV. 7. 2. Cor. III. 5. re-

C

velare

velare per evangelium Joh. XVII. 20. Rom. X. 17. 1. Cor. I. 12. omnia sc. parvulis revelata ꝑ. XXV. \* Officium Christi Propheticum faciunt testatum communicata virtutis infinitas Matth. IX. 8. Joh. III. 2. VII. 31. Intellectus perspicacitas. Joh. X. 85. voluntatis benignitas. Joh. XVI. 23.

XXVIII.

Venite, assilite, ꝑ. XVII. conf. Gen. XLV. 4. A præcepto ad naturaliter posse, non valet consequentia, Joh. VI. 44. vid. Marc. V. 41. VII. 34. Joh. XI. 43. ad me per scripturas Joh. V. 39. qui laboratis & peccatis onusti estis. omnes quibus jugum est suscipiendum humilitasque sectanda ꝑ. XXIX. omnes onus sive sentiant sin minus, prov. I. 24. 25. Jef. LXV. 11. 12. Matth. XXIII. 37. Joh. IX. 41. Omnes etiam non saltantes s. non venientes ꝑ. XVII. Adeoque vocatio h. l. obtinet generalis, ut ut non cum successu universali, reficiam vos Beneficia sunt latissimè extendenda, adeoque loquitur non tantùm de refocillandi actu, quo gaudent tantùm venientes, sed de promptâ refocillandi omnes voluntate. E. Pater in perditionis malsâ neminem relinquere decrevit, nedum præterit, aliâs hæc Filii vocatio vel Patris voluntati contraria fuisset vel hypocritica. \* Conversionem peccatorum maturent gratiosa vocatio prov. IX. 5. Is. LV. 1. oneris ratio, Ps. XXXV III. 5. conf. 1. Sam. XXI. 2. Refectionis stipulatio. Is. XXXI. 25.

XXIX.

Suscipite jugum non legis Is. IX. 4. Gal. V. 1. à Bazar-  
 Toy & XV. 10. nec illud traditionum humanarum Matth. XXI III 4.  
 sed meum præceptum sc. quod leve I. Ioh. V. 3. & crucis, Matth.  
 XVI. 24. quæ tolerabilis, 1. Cor. X. 13. super vos Salvianus su-  
 per hæc verba: *A nobis Deus nihil onerosum, nihil grave exigit,  
 non enim nos ad aratra aut ad ligones vocat, non ad sciendi-  
 das terras, neque ad vineas pastinandas, non ergo nos ad  
 laborem vocat, Dominus sed ad refectionem. Quid namque à nobis ex-  
 igit, quid præstari sibi à nobis jubet, nisi solam tantummodo fidem, ca-  
 stitatem, humilitatem, sobrietatem, misericordiam, sanctitatem, qua-  
 utique*

*utique omnia non onerant nos sed ornant.* Libr. VII. d. Gubern. p. m. 133. & **discite à me** qui doceo vos non tantum verbo Evangelii mei sed meo quoque exemplo loh. XIII. 34. XV. 12. **quod mitis sum** Matth. XXI. 5. 2. Cor. X. 1. & **humilis** non tantum gestu externo loh. XIII. v. 15. sed & corde \* **Christus est Doctor** Doctorum, qui non tantum verbo nos docet, sed suo quoque exemplo tolerantiam Apoc. III. 10. Hof. XI. 4. Syr. LI. 34. mansuetudinem, 1. Petr. II. 21. 22. 23. humilitatem. Phil II. 5. 6. 7. & **invenietis requiem** non tam corporibus, conf. II. Cor. IV. 16. quam animabus vestris. Ier. VI. 16. \* **Vita æterna** verè erit sabbatum, Iob. III. 17. 18. Ies. LVII. 2. Ebr. IV. 8. Ap. XIV. 13. fatigatis, Rom. VIII. 28. 18.

XXX.

**Jugum enim meum**, lex fidei sc. novæque obedientiæ cui crux accedit **SUAVE** in oppositione ad legem Moſis quæ perfectam obedientiam rigidè sub maledictionis exigit pœnâ Deut. XXVII. vers. 26. operatur iram Rom. IV. 15. ac occidit Rom. VII. 22. confer & vers. præcedentem. est, ob Dei solatium 2. Cor. I. 4. 5. Col. I. 24. **auxilium** Ps. LXVIII. 20. I. loh. V. 3. **temperamentum**. 1. Cor. 10. 13. **præmium** Rom. VIII. 17. 18. 2. Cor. IV. 17. Ponamus verò intelligi jugum legis & h. l. suave tamen factum est, ut à Christo sublatum, perque vires novas portari à nobis inchoatum, Rom. VII. 22. & **ONUS** non satisfactionum humanarum sed **meum leve**. 2. Cor. IV. 17. \* **Lex per Moſen lata est**, gratia verò per Iesum Christum facta, loh. I. 17. *Nolite timere, quia jugum est festinate, quia leve est. Non conterit colla, sed honestat ; inquit Ambrosius d. Helia & jejun. T. IV. f. m 337.*





## CAPUT XII.

Verf. I.

**I**llo tempore ibat Jesus. \* Et die Sabbathi licet animi gratiâ expatiari aliquo usque, Luc. XXIV. 13. Act. I. 12. *conf. Hor. Ebr. Lig. fof. f. 319. & 513. E. Schmid in N. T. f. 773. & v. C. C. Baldun. p. 359. & I. A. Osiand. d. Sabbath. p. 140.*

sabbathis sabbatho quippe deuteroproto. Luc. VI. 1. *quo de S. Schmid duas edidit disputationes. & H. Muller unam.* per facta, Discipuli autem esuriebant \* Necessitas legem non habet sed die sabbathi quoque quæ ad servandam sunt vitam necessaria, peragi oportet, Luc. XIII. 14. XIV. 15. I. Macc. II. 40. 41. *Neque improbamus, quid post Concilium Arelatense Constantinus in suis Constit. tempore pluvio aut aliis necessitatis casibus permittit, ut messis aut vindemia etiam die Dominico colligantur. Nam si ad famis propria solatium licuit Discipulis Sabbatho aristas vellere, multo magis in tali licebit casu publico cavere bono;* Hæc Hottinger in primit. p. 342. vid. & Schikh. I. R. *Geog* XVIII. p. m. 386. & Osiand. in H. Grot. p. 253. & coeperunt vellere spicas quod concessum pridem. Deut. XXIII. 25. & comedere in fame Christus nec deserendus nec ipse deserit suos. Marc. VIII. vers. 2. 3. 6. 7. 8. Luc. XXII. 35.

II.

Pharisæi autem cum vidissent \* Ad omnia piorum facta male-

malevoli curate attendunt. Pf. LVI. 7. Marc. III. 2. Luc. VI. 47. dixerunt primum discipulis Luc. VI. 2. post ipsi Magistro, uti cum Magister videbatur hallucinatus, vicissim exprobrarunt discipulis, Matth. IX. 11. **Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere die Sabbathi.** Atqui licuit id facere, Deut. XXI. 1. 25. sed hoc Momorum ingenium est, ut optima carpant pessimè Syr. XI. 33. Matth. XI. 18. XII. 24. XXVI. 8.

III.

At ille dixit eis, Non legistis, 1. Sam. XXI. 1. 2. quid fecerit David ex tribu non Levi sed Iuda oriundus cum esuriret ipse. In casibus necessitatis lex praesertim ceremonialis haud attendebatur Hof. VI. 6. & qui cum eo servi, non quidem unum cum ipso Sacerdotem aggressi. 1. Sam. XXI. 1. alibi tamen v. 2. panum Propositionis nihilominus participes unam facti. v. 45. \* Verbum scriptum est unica Controversiarum sacrarum norma, quae in obortis quaestionibus gravioribus legenda ac applicanda. Matth. IV. v. 4. XIX. 4. XXII. 29. 31. 43.

IV.

Quomodo introierit in domum DEI & panes propositionis qui ad legem spectabant ceremoniales, secus ac hodie vera doctrina aut vinum in S. Cœnâ, ederit esuriens quos edere aliis nec licuit ipsi, nec iis cum ipso quod neutri ex tribu Levi sed solis sacerdotibus. Lex Ceremonialis necessariis cedit. \* 1. Sam. XV. 22. Jer. VII. vs. 21. Bene etiam Seneca: *Necessitas magnum humana imbecillitatis patrocinium, quicquid cogit, excusat.* vid. & Rivet. in Decal. f. m. 1307.

V.

Annon legistis Verbum scriptum non à solo Clero legi oportet, sed à mortalibus omnibus, Matth. XIX. 4. XXII. 31. Marc. II. 25. XII. 26. XIII. 14. vid. Ravan. Bibli. II. f.

1011. b. in lege. Exod. XXI X. 36. Num. XXV III. v. 9. Non \*  
 illa tantum argumenta sunt convictiva, quæ ex τῶ ἐπιτῶ scripturæ  
 fluunt, sed & illa κατὰ Διδόχαιαν, militant. Matth. XXII. 31. quòd  
 Sacerdotes in templo Sabbathum violant ex vestrà  
 hypothesi, quâ omne omninò opus diem sabbathi polluere cen-  
 setur & sine crimine sunt. Nam per opera pietatis non  
 profanatur Sabbathum sed sanctificatur, Jos. VI. v. 4. Joh. VII.  
 vers. 22.

VI.

Dico autem vobis à minori ad majus assurgendo: si  
 ministerium Templi in sacerdotibus ac Levitis opera aliàs servi-  
 lia, ex. gr. mactationem victimarum excusat imò sanctificat  
 die sabbathi etiam, quanto magis hoc die & in meis Ministris  
 spicarum evulsionem excusabit mea præsentia, qui sum templum  
 vivum quod tota Deitatis plenitudo inhabitat. Col. II. vers. 9.  
 templo Hierosolymitano majus templum mei scilicet corpo-  
 ris Joh. II. v. 19. hic est. Opera quæ in Christo fiunt, bona  
 sunt. Joh. III. 21. Eph. II. 10.

VII.

Quodsi nossetis Ignorantia principii, id est, verbi scri-  
 pti meritò culpatur, fons enim est peccatorum plurimorum. Matth.  
 XXII. 29. Joh. III. 10. VII. 49. quid sit Misericordiam  
 imprimis VOLO Hof. VI. 6. Prov. XXI. v. 3. & non tam sa-  
 crificium comparativè h. l. & capendum, nec enim Christus  
 sacrificium planè rejicit, sed misericordiam tantùm præoptat,  
 conf. Matth. V. 23. XXIII. 23. & notas in Cap. IX. vs. 13.  
 ut & Spanhem.. Dub. Ev. III. p. 533. non condemnasse-  
 tis infantes hos. \* Judicia temeraria damnantur passim.  
 Matth. VII. 1. Rom. II. 1. 1. Cor. IV. 5. vid. C. C. Osiand.  
 l. p. 1420. & Amesii p. 313.

VIII.

Nam nec servus nec debitor legis pro se sed petiùs Do-  
 minus

minus qui dispensare potest est non tantum totius legis in genere sed in specie & sabbathi, sicuti enim, qui offenderit in uno, omnium reus est Jac. II. 10. sic qui Dominus audit unius præcepti (h. l. de sabbatho) Dominus est & omnium, quod omnia homogenea originisque sunt ejusdem **Filius hominis** ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου Christus juxta naturam quoque humanam, juxta quam est templum Deitatis v. VI. & Violati Sabbathi insinuilatus, v. II. H. Grotius quidem ac Episcopus Instit. f. 416. b. intelligunt per *filius hominis* h. l. in genere quemvis hominem, quod Marc. II. v. 27. 28. talis occurrit *συνάψευς*: *Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter Sabbathum, inde Dominus est filius hominis & sabbathi*; At connexio nec apud Marcum alia quam hæc esse potest: *Cum Messias Dominus hominum sit omniumque ad hominis utilitatem pertinentium, ideo Dominus est & Sabbathi*; Si illationem aliter instituas & hoc fortè modo: *Sabbatum est propter hominem, ideo homo est Dominus sabbathi*; tam non procederet illa, ac hæc: *Magistratus est propter subditos, ideo subditi sunt Domini Magistratus*. Christus pro se legi non fuit subjectus, (uti visum fuit Piscatori, Wendeleno, System. pag. 1116. Exx. CXXIII. pag. 97. Cloppenb. Exx. p. 887.) quod est potius Dominus legis imò DEI Filius, adeoque liber & sponte tantum ad nos liberatum legi subditus. Gal. IV. 4. Joh. VIII. 36. X. 18. 19. Rom. VIII. 2. vid. Feurborn. Opp. p. 155. 482. 650. Galov. T. VII. System. p. 438. Camero Myroth. p. m. 13.

IX.

Et digressus illinc alio quodam Sabbatho, Luc. VI. 6. venit in Synagogam eorum Phariseorum ut non adeo puram, Matth. XXIII. 6. 34. \* Conventus publici quantumvis haud adeo puti tamen negligendi non sunt. Matth. IV. 23. 23. IX. 9. 35. Luc. IV. 15. 16. 44. Joh. XVIII. 20. Ebr. X. 25. *Et si videntur in Ecclesiâ esse zizania, inquit Cyprianus, non tamen impedire debet aut fides aut chæritas nostra, ut, quoniam*

*niiani*

niam zizania esse in Ecclesiâ cernimus, ipsi de Ecclesiâ recedamus. Nobis modo laborandum, ut frumentum esse possimus. lib. III. epist. III. ad Maxim. f. m. 55. conferfis & Quæst. XXIV. nostra Syllog. p. 54.

X.

Et ecce quidam erat manum dextram Luc. VI. 6. habens aridam conf. 1. Reg. XIII. 4. Joh. V. 3. & inimici pharisæi interrogarunt eum qui ipsis mox ἀντιερωτήσῃ hanc generaliore[m] regessit: Licet sabbatho benefacere aut malefacere? Marc. III. 4. Luc. IV. 4. dicentes: Licet ne sabbathis sanare, ut accusarent ad domum iudicii eum ceu Sabbathi violatorem mortis reum. conf. v. XIV. & Num. XV. 32. 33. \* Plagas inter præcipuas, quas mundus tendit Christo, captiosæ quoque quæstiones sunt. Matth. XIX. 3. XXII. 15. 17. 24. 46. Marc. XIV. 61. XV. 2. Luc. XX. 20. 21. 22. 23. X. 25. Joh. VIII. 5. 6.

XI.

At ille dixit eis conf. Prov. XXVI. 5. Jer. XXVIII. 15. Quis erit ex vobis homo, hi homines certè ad hanc Christi quæstionem haud adeò conticuisent, si jam tum in diebus Messie periclitantis adeo pecudis liberatio fuisset sabbatho prohibita, uti R. Lipmannus cavillatur, ac si Christus h. l. affinxisset Judæis, quæ ab ipsis tamen fuissent aliena. Verumenimverò prohibitionem hujusmodi liberationis postliminio demùm & aliquot à Christo nato seculis in Talmud esse intrusam merito asserunt Buxtorf Cap. XVI. Synag. Jud. p. m. 355. Schickard Cap. V. th. 18. d. Jur. Reg. & in id Carpzov. p. 385. Imò ne illa quidem verba in Talmud seriùs intrusa loquuntur de periculo vitæ in morâ, sed de qualicumque tantum foveâ, in quâ usque sabbathum effluxerit, illapsæ pecudi stramentum prospici partumque oporteat. vid. Observ. I. Capelli in Nov. Testament. pag. 15. & Hornbek de Conv. Juda lib. VII. cap. 5. pag.

pag. 505. qui habebit ovem unam uti ille 2. Sam. XII. 3. & inciderit in foveam, non apprehendat eam, Homini cura incumbit pecudum quoque ac jumentorum, Prov. XII. 10. XXVII. 23. Exod. XXIII. 5. XXV. 19. Num. XXII. 32. Deut. XXII. 6. XXV. 4. & erigat Opera necessitatis nec die Sabbathi negligantur, Luc. XIII. 15. Hoc est quod in veteri Babylonico Hebræorum jure legitur: *Periculo anima pelli sabbatum*; Verba autem in Misnacoth ita habent: *Omne opus prohibetur in sabbatho, nisi sit pro anima*. Uade Jædæi & diebus sabbathi se contra hostes defendere vitæque tutari nulli dubitabant. *vid. Josephus A. A. Jud. lib. XII. cap. 1. 2. 8. XIII. 1. XIV. 8. XVIII. ult. de Bell. Jud. lib. I. cap. 5.*

XII.

Quantum autem præstat homo ovi? ob animam immortalem, concreatam imaginem DEI spemque vitæ æternæ. Cur itaque tam multi magis sunt solliciti de pecore quam forte de homine? conf. Num XXXII. 2. - Matth. VIII. vers. 34. Itaque licet sabbathis benefacere. Consequentia præsertim & à minori ad majus in sacris quoque locum habent. Matth. VI. 26. 27. 30. VII. 31. 1. Joh. V. 9.

XIII.

Tunc veram de sabbatho doctrinam professus hæcenus dixit solâ itaque voce & ne tactu quidem usus, quod ne speciem quidem violati sabbathi habere potuit homini qui movere manum absque divinâ ope ne quidem potuisset, 1. Reg. XIII. 4. *Extende manum tuam jubendo Christus facultatem unâ concessi, confer Marc. V. 41. Luc. VII. 14. Joh. XI. 43. & extendit.* \* Mediorum divinæ præscriptorum *τάξις* se submittere oportet agrum 2. Reg. V. 13. & restituta est sana sicut altera scilicet sinistra. conf. Matth. V. v. 39. \*

D

Chri-

Christus est Propheta magnus & verus DEUS nemo enim mortalium solà voce tamque cito restituere agros potest, Psalm. XXXIII. 9. Matth. IX. 6. VIII. 8. 13. Luc. XVII. 14. XII. X. vers. 43.

XIV.

Pharisæi verò tum verbis tum factis Christi confusi vers. III. IV. V. VII. XI. XII. egressi è synagogà consilium cum Herodianis, Marc. III. 6. adversus eum ceperunt factis crudele. En qui damnarant opus necessitatis die sabbathi factum, vers. II. & VII. eodem die opus iniquitatis meditantur ipsi, animam infantis perdituri non servaturi die sabbathi, contra Luc. VI. 9. ut eum perderent. \* Invidia in pejus usque ruentibus cruenta subministrat consilia, ex quibus non nisi caedes redundant a latrocinia. Gen. IV. 6. 8. XXXVII. 20. Prov. XXVII. 4.

XV.

JESUS autem cùm nosset. Christus jam in infimo exinanitionis statu quævis quoque clandestina rescivit, Matth. IX. 4. Joh. II. 24. 25. XIII. 11. 30. & cùm se tueri miraculis valuisset, tamen secessit uni certo loco non affixus. \* Terminus vitæ mobilis est, omnis aliàs fuga esset frustra, illinc, quòd hora ipsius nondum venerat. Fugam suaserat supra Cap. X. v. 16. 23. idem exemplo docet quoque suo, hostium furori quandoque esse cedendum, conf. 1. Reg. XIX. 3. Joh. VIII. 59. Jer. XII. 7. 8. 2. Cor. XI. 32. 33. Ebr. XI. 38. Ap. XII. 6. 14. vid. Haidek T. III. Diss. pag. 297. & secutæ sunt turbæ Praconium Evangelii nec rabie persequentium nec fugà docentium sistitur, Matth. X. 23. Act. IV. v. 18. 19. 20. V. 28. 40. 41. & sanavit In mediâ etiam persecutione instandum partibus officii, Neh. IV. 17. & seq. 1. Cor. IV. 11. vers. 12. eos omnes. Tanta sunt præmia sequentium Christum, Matth.

Matth. IX. 27. 28. 29. 30. XIV. v. 13. 14. XIX. 2. 18. Joh. IIX. 12. X. 27. 28. ipse qui in statu ita exinanitionis per tantas & omnipotentiae divinae carni suae communicatae specimina se verum demonstravit Messiam, Matth. XI. 5. Joh. IX. 16.

XVI.

Et in statu adhuc exinanitionis nondum glorificationis versans interminatus est eis praesertim & obsessis, Marc. III. 12. ne ipsum facerent manifestum hostibus manifestis & hoc ad evitandum tum majorem ipsorum invidiam exacerbationemque usque graviorem tum ad declinandum omnem ambitionis speciem. Matth. IIX. 4 IX. Marc. VII. vs 30. 36. \* Si gloriam non quaesivit suam ipse Magister, Joh. IIX. 59. quanto minus ambitio decet ministros. Matth. XI 29. Gal. V. 26. Philipp. II. vers. 3. 4. 5. 6.

XVII.

Ut obtinentia miraculorum versu praecedente injuncta impleretur quoad sensum dictum per Prophetam Jesaiam qui cap. XLII. v. 2. ait maxime: *Non clamabit & non elevabit adrixandum, nec audire faciet vocem suam foris.* \* Dicta Vet. Testament. allegantur in Nov. Testament. saepe integra quorum tamen pars tantum scopo congruit allegantis. Act. II. 17. 18. 19. 20. 21. Ebr. I. 8. 9. 10. 11. dein citantur etiam implerique dicuntur quoad sensum magis quam verba, *Spiritus s. enim non aucupatur syllabas.* v. Rom. X. 18. Ebr. X. 5. XI. 21. vid. *A. Mori Axiom. VI. p. m. 455. Kesleri Diss. de Alleg. dict. Vet. Testament. cap. IV. p. m. 586. Glass. Ph. S. p. m. 1472. & Fessel. Advers. I. p. 31. VIII. p. 227.*

XVIII.

Ecce verba ex Jesaiae cap. XLII. Thargum Chaldaicum de Messia pridem fuit interpretatum. vid. & *Herm. Witsii Meletem. Leiden. p. 389.* Puer *waïs* nihil differt à servo Gal. IV. 1.

D 2

conf.

conf. Act. III. 25. meus filius in formâ servi Phil. II. vers. 7. quem elegi ad munus Redemptoris Luc. XXIII. 35. 1. Petr. I. 20. Dilectus meus Eph. I. 6. seu electus. Jes. XLII. 1. in quo Mediatore anima mea quæ in *ψυλαι'ρωσσω* non acquiescit complacitum habet. Matth. III. 17. XVII. v. 2. ponam non de spiritu meo sed integrè Spiritum meum sine mensurâ & in columbæ specie Jes. LXI. 1. Luc. III. 22 Joh. III. 34. super ipsum Prophetam Nov. Testament. Magnum & iudicium per hoc intelligit *reclam divini cultus rationem* Act. XX. 27. Gerhard L. d. Jud. §. V. f. 3. *ab omni iniustitiâ cessationem* Matth. IV. v. 17. Tostanus, f. 16. *dominium spirituale pacificum* Jes. II. 4. Psalm. LXXI. 8. Zach. IX. 10. Varenius pag. 92. *Evangelium* iudicio Mosis contradistinctum. Psalm. CXIX. 7. 39. 149. Calovius f. 287. gentibus v. XXI. Jes. II. 3. annuntiabit id est, proferet. Jes. XLII. 1. per os scilicet Apostolorum, Matth. XXII. 19. Marc. XVI. 15. \* Christus non tantùm gloria est Israelis sed lux quoque gentium, Luc. II. 32.

XIX.

Non contendet cum pharisæis, quorum furori potius cessit, v. XV. nec clamabit nec audiet aliquis in plateis vocem ejus. id est: Er wird nicht laut schreyen zu seinen Wundern. Quin imò nec aliis sua in omnibus plateis ebuccinari beneficia permittit. v. XVI. \* Minister Crucis ab omni jactantiâ esto alienus. 2. Tim. III. 2. & 39. *vid. J. Crellium T. III. f. 12. a:*

XX.

Arundinem quassatam conscientiam fauciam non confringet. Absoluta fidelium perseverantia h. I. non promittitur, sed summa potius Christi laudatur lenitas. conf. Psalm. XLV.

XLV. 3. Cant. V. 14. Jef. L. 4. Ezech. XXXIV. 16. & conf. Judic. XV. 14. XVI. 9. Jef. XLIII. 17. linum fumigans infirmos in fide fcilicet quales ipsum fequebantur multi, v. XV. nec tales membra Christi viva esse definunt *vid. Ofiand. Coll. Part. VII. pag. 36.* non extinguet, id est, confervabit, est *ἀσπίς*, dum minus negativè exprimitur & oppositum in gradu intenso intelligitur, ut Lev. X. l. ignis alienus *non preceptus*, id est, interdictus & 1. Cor. XIII. 6. *non gaudet*; id est, maximè dolet. \* Virtus Christi se in infirmis maximè exerit. 2. Cor. XII. 9. Ezech. XXXIV. 16. Matth. XI. 28. Ebr. IV. v. 15. donec officio suo in his terris cum tantâ lenitate mansuetudine peracto proferat potentissimè, apertissimè inque omnium oculis frustra repugnante mundo ac diabolo Rom. III. v. 4. ad victoriam contra obstinatos lenitudinis illiusac mansuetudinis contemptores. *eis vixos* idem sæpe est ac *in perpetuum* 2. Sam. II. 26. Lam. V. 20. Am. I. 11, ita & h. l. id notat ævum quo triumphantes cantabunt: Mors absorpta est *in Victoriam*. 1. Cor. XV. 54. 57. iudicium verbi quod *κρίσις*, Ebr. IV. v. 12. Joh. XII. 48. Jef. IX. 7. quo detegetur veritas Jef. XLII. v. 3. omnia vincens, ac Iudæos gentesque subigens unde post mentionem *victoria* hujus ac *judicii* immediatè sequitur: *& in nomine ejus gentes sperabunt*. v. XXI. \* Status Christi fuit geminus, humiliationis ac exaltationis Psalm. VIII. 6. CX. 7. Luc. XXI V. v. 26. Act. II. 36. V. 30. Rom. II X. 34. 1. Cor. XV. 3. 4. Phil. II. 6. 7. 8. 9. 10. Ebr. II. 9. XII. 2.

XXI.

Et in nomine seu lege Jef. XLII. v. 4. non Mosis, in hujus enim legem nemo sperat, sed ipsius, Christi scilicet gratiâ Joh. I. v. 17. sperabunt in remotissimis quoque insulis Jef. XLII. v. 10. Gentes, Messias & Gentium bono venit. Gen.

D 3

XLIX.

XLIX 10. Hag. II. vers. 7. Jes. XI. 10. LX. 5. Act. XV. vs. 17. Rom. XV. vers. 12.

XXII.

Tunc in domo Marc. III. S. oblatuſ est E. \* Aegri fovendi sunt DEO que piâ prece offerendi, Matth. IV. 24. IIX. 8. 16. IX vs. 2. 32. XIV. 35. Jac. V. 16. Dæmoniacus Existencia dæmonum est indubia. Luc. IV. 3. & G. Voet. Diss. ſil. Part. 1. p. 1020. cœcus & mutus Magna est Diaboli potentia in hoc mundo, agens etiam in corpora, Matth. XIII. 19. XV. 22. Luc. IV. 33. XIII. 16. XXII. 3. 31. Joh. XIII. 27. Act. VIII. vs. 7. Eph. II. 2. VI. 11. 12. 1. Theſſ. II. v. 18. 1. Petr. V. vers. 8. & sanavit ô ἄρρολιπος. Luc. XI. 22. eum adeò perfectè ac repente ut cœcus & mutus loqueretur & videret. Christus est verus Messias diaboli domitor Gen. III. 15. Actor. X. 38. 1. Joh. III. 8. Ebr. II. 14. Col. II. 15.

XXIII.

Ft obstupuit Inter miraculorum effectus est communiter stupor quoque. Marc. I. 26. 27. II. 12. V. 20. 42. VI. 51. Luc. IV. vers. 36. VI. 43. VIII. 46. tota turba. \* Cœtus fidelium omni caret specie, cum ex vulgò potissimum constet, Matth. XI. 24. Luc. XII. 32. XIX. 48. Joh. VII. 31. 48. 1. Cor. I. 21. 29. dicebâtq; Veritati sui nunquam defunt præcones Ies. LV. 11. Matth. XXI. 16. Marc. X. 47. Luc. I. 32. 69. XIX. 40. Ioh. III. 2. VI. 14. VII. 31. IX. 30. 33. Nonne iste est Filius ille Davidis promissus 2. Sam. VII. 12. Pl. CXXXII. 11. Act. II. 30. \* Inter præcipua Messie criteria fuere & miracula. Matth. XI. 5. Joh. X. 38. 25. 38. XI. 45. XII. 11. XX. 31.

XXIV.

Jannes & Jambres agnoverant digitum Dei. Ex. VIII. 16. Pharisæi spiritualiter obsessi, hinc adeò occæcati Matth. XIII. 15. Joh. XII. 39. 2. Cor. IV. 4. ac muti ad loquendum quæ recta.

recta. Pl. LVIII. 2. autem. \* Pro diversitate tum præjudiciorum tum affectuum varie usque sunt atque fuerunt de Christo opiniones. Matth. XVI. 14. 15. 16. Joh. VII. 12. 46. 47. 48. IX. 9. 16. 25. 28. XI. 45. 46. conf. 2. Cor. VI. 8. audientes longè aliud dicebant satis blasphemè, ψ. XXXIV. XXXV. Coh. X. 1. iste non eiecit dæmonia nisi per Beelzebul Beelzebub erat Acronitarum dealter 2. Reg. I. 2. ita dictus à muscâ quòd sive formam muscæ habuit vel muscâ abigere fuit creditus, *uti conjiciunt Buxorff. in Lex. Talm. f. 333. 334. Selden. d. Dis. Syr. Synag. II. c. 6. p. m. 301. & Ravan. Bibl. I. f. 290. Iudæi literam* in h. consultò opprobriique ac contumeliæ causâ mutantes vocarunt Beelzebul Deum stercoreum, ad contestandum quantilli Deos facerent falsos & nihilominus Deum blasphemare verum nulli dubitabant. \* Tale est hypocritarum ingenium ut muscâ excolet ac deglutiant camelos. Matth. XXII. 24. 2. Sam. XII. 5. ut patrent pessima ipsi, & in aliis optima carpent, Matth. VII. 3. Interim vituperatos soletur exemplum Magistri Matth. X. 25. principem Dæmoniorum. \* Angeli mali & multi sunt & plurifarii. Matth. IX. 34. XXV. 41. Marc. III. 22. Luc. XI. 26. I. Cor. XV. v. 24. Col. II. 15. Ap. 7. vid. Crell. T. I. f. 334.

XXV.

Quum autem Jesus sciret cogitationes eorum, Christo *καρδιογνωσία* competiit jam in statu exinanitionis. Matth. IX. 4. XVI. 8. XXI. 18. Luc. V. 22. VI. 8. IX. 47. XI. 17. Joh. II. 24. 25. in quem Johannis locum ψ. XI. Augustinus: *Plus noverat Artifex in opere suo quam ipsum opus, quid esset in semetipso: Creator hominis noverat, quid esset in homine, quod ipse creatus homo non noverat.* T. IX. f. m. 97. Quod de solo dicitur Salvatore, neque enim, *natura hominis est quamvis sancti, cordis arcana cognoscere;* ait Hieronymus in Ez XIV. dixit eis *ἀνασκευήν* blasphemiam, quam non æquè ac *κατασκευήν* dogmatum ex scripturis esse

esse oportet. Omne regnum dissidens adversus semetipsum vastatur, Stapletoni tamen consequentia non procedit; Discordia est principium desolationis E. unitas est Ecclesie nota ac proprietas, nam unitas competit & Satanae regno XXVI. & malevolentium conventiculis. Prov. I. 14. Jes. V. 18. & omnis civitas aut domus dissidens adversus semetipsam non stabit. Discordia res magna dilabuntur. Hof. X. 2. Gal. V. 15. Gemella habet & Cicero d. Amic. *Quae domus tam stabilis quae tam firma civitas est, quae non odiis atque dissidiis funditus possit everti?* Litemus itaque Concordiae, 1. Cor. I. 10.

XXVI.

Atsi Satanas Satanam ut Messias cum tantâ violentiâ eicit invitum, Matth. VIII 29. (si verò Satan Satanae vel Exorcistae sponte cedit in regni sui fucati commodum atque lucrum, veri miraculi rationem non habet, miraculo enim vero veritas doctrinae semper connexa est, Deut. XIII. ̄. 2. Matth. ̄. XXX. &c. XXIV. 24.) adversus seipsum dissidet, quod tamen negatur, Job. XLI. 8. quomodo ergo stabit regnum ejus, i. e. minimè persistet, conf. parem Phraim ̄. XXXIV. \* Adversarii in Theologia & consequentiis urgendi sunt. Rom. XI. 6. 1. Cor. XV. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. Gal. II. 21. *vid. B. Scherzeri Programm. p. 396. & 441.*

XXVII.

Et si ego in Beelzebub eicio daemônia, uti vos Pharisei blasphematis ̄. XXIV. in quo ejiciunt filii vestri s. Exorcistae, qui daemônia in nomine meo ejiciunt & vos nihilominus sequuntur à vobisque probantur. Matth. VII. 22. Marc. IX. 38. Luc. IX. 49. Act. XIX. ̄. 13. Cur itaque quod in vestris aestimatis, idem in me carpitis, ideo iudices vestri ipsi erunt. Uti & Ninivita & Regina Austri ̄. XLI. XLII. \* Diverso de rebus planè iisdem iudicio quod non nisi ex affectu redundat ac προσωποληψία, nihil est damnabilius, Prov. XVII. 15. 2. Sam. XII. vers. 5. Luc.

Luc. XIII. 2. Rom. II. 1. XIV. 10. 13. Jac. IV. 11. *vid. Zwingeri Salomo p. 381.*

XXVIII.

Si autem ego quoad humanam naturam Spiritu S. minor in non tamen ut organo Spiritu qui audit & digitus Dei Luc. XI. v. 20. uti itaque digitus atque homo ejusdem sunt materiae. sic Spiritus Dei ejusdem cum Deo est essentiae, potentiae. &c. Act. X. vf. 38. Dei *ὑποστατικός*, id est, *Patris eijcio*, uti haecenus probavi, daemones invitos, igitur pervenit in vos Luc. XVII. vf. 21. regnum Dei i. e. Messiae. Luc. X. 9. Miracula & praesertim Daemonum expulsionem fuerunt Adventus Messiae finis, effectus, signa. Matth. VIII. 16. 17. IX. 33. XV. 22. Luc. IV. 41. VII. 21. 22. IX. 42. 43. Act. X. 38. 1. Joh. III. 8.

XXIX.

Aut quomodo potest quisquam invadere domum robusti, conf. Judic. XVI. vf. 3. Jef. XLIX. vers. 24. 25. & vasa ejus diripere, conf. Jer. XXX. 16. nisi prius ligaverit fortem. vid. Joh. XII. 31. Eph. IV. 8. 1. Joh. III. vf. 8. & tunc domum ejus spoliabit. \* Messias nisi redemptor esset omnium victorum catholicus, nec victor esset diabolorum perfectus. Jef. LIII. 12. Col. I. 13. 14. II. 15. Eb. II. 15. *quicquid etiam ogganniat Wendelinus, Ex CXVII. p. 34.*

XXX.

Qui & in doctrinae substantia & in oppugnando diabolo non est mecum, contra me est. Hanc propositionem Calixtus in C. Ev. ita convertit per contrapositionem: Qui non est adversus me, non est non mecum; Id est: *Qui non est adversus me, mecum est.* Luc. XI. vf. 50. Pharisei vero contra Christum ejusque erant adversarii adeoque ejus judicare facta penes ipsos haud erat. Nec abludit illa Pompeji sententia: *Omnes Adversarii sunt, nisi qui nobis-*

E

nobiscum sunt, & qui non congregat mecum ullibi, hodie opus non est, ut excurras in novum orbem ibique congreges, nisi Episcopos, qui in certis congregarunt Ecclesiis, dicas dispersisse Act. XX. vs. 28. dispergit Diabolus cum Christo adeò non congregat colligente Jes. LVI. 8. Joh. XI. vs. 52. ut potius dissipet Joh. X. 12.  
 \* Neutralismus in rebus fidei omninò est prohibitus Ap. III. 19.  
 vid. Wsgand. d. Neutralibus p. 11. & 16.

XXXI.

Ideo ob blasphemiam illam & verbalem ꝑ. XXIV. & mentalem ꝑ. XXV. dico non dehortatorie sed assertive VOBIS qui officium, quo fungor diabolosque ejicio, ceu Satanae collusiones traducitis, omne peccatum omnis ἀμαρτία est ἀνομία. 1. Ioh. III. vers. 4. Peccatum in Spiritum S. est & dicitur h. l. ἀμαρτία. E. est & ἀνομία, tabulâ quippe prima generaliter prohibita & blasphemiam hominibus remittetur i. e. poterit remitti, uti verba quæ ætatum notant, de facultate haud raro sunt intelligenda. Gen. XVI. 10. Matth. VII. 16. 1. Cor. II. 15. v. Glass. Ph. S. p. 154. at Spiritus Sancti, tanquam supremi mediocum silvificorum Administratoris. Adeoque h. l. spectatur non in sua essentia, hæc enim & Filio est communis, nec in persona, hanc enim Pharisæi non blasphemarunt, sed in officio mediata per verbum illuminationis, miraculose operationis ꝑ. XXVII. conversionis &c. 2. Cor. III. 8. 1. Joh. V. 6 quod officium falsitatis præstigarumque Beelzebubarum arguendo blasphemarunt. Hæc Blasphemia, cujus objectum veritas fuit evangelica ἀπίστια potius quàm ἀνομία dicenda videtur J. Meisnero, Disp. pecc. ex ratione autem superius adducta censetur esse & ἀνομία, à Feurbornio p. 1870. & Scherzéro in Disp. p. 33. blasphemiam tam mentalem quam oralem, ꝑ. XXIV. & XXV. non remittetur sicuti reliquorum peccatorum remissio de potentia intelligatur, sic de remissione peccati in Spiritum S. negatur δυνάτιν \* Adjunctum peccati

cati adversus Spiritum S. inseparabile est irremissibilitas, Eb. VI. 4. 6. 7  
 1. Joh. V. 16. Calov. *Anti Soc. T. III. f. 345.*

XXXII.

Et quicumque non ex plena scientia nec ex voluntate plenè libera dixerit verbum sed vel ex ignorantia ut Paulus, 1. Tim. I. 13. vel voluntate vi metue & circumstantibus periculis inclinata, ut Petrus, Matth. XXVI 21. adversus Filium hominis s. exinanitum s. exaltatum remittetur ei. e. poterit remitti *vide notas ad vers. precedentem* qui autem dixerit verbum Hoc itaq; peccatum propriè constituit in abnegatione & oppugnatione veritatis sufficienter demonstratæ & agnitæ *ψ. XXII. XXIII. XXXIV. Joh. III. 2. XV. 22. Act. VII. 51. 1. Thes. IV. 8. ex nullo metu sed plenè liberâ voluntate ψ. XXIV. contra Spiritum Sanctum qua is miracula sibi appropriat ψ. XXVIII. ei ita adhuc superstiti non remittetur* Irremissibilitas est reatus per blasphemiam Spiritus S. jam consummatam contractus nec in hoc seculo quo E. peccatum adversus Spiritum S. absolvi potest, nec in futuro quòd & mortis horam involvit Es. XXII. 14 & diem judicii, ubi manifestè locum habet adhuc misericordia. 2. Tim. I. 18. purgatorium autem non item. *προσθήκη* interim hæc proverbialis ac exaggerativa *nec in futuro.* regulis & logicæ & prudentiæ conformis est uti & illæ Joh. IV. 14. XIII. 8. 1 Cor. VIII. 13. 2. Macc. VI. 26. exponitur que per *ἐκ ἐστὸν αἰῶνα*, Marc. 3. v. 29. Uti itaque *Notæ V. C. Franciscus* non est asinus nec in hoc seculo nec in futuro; Benedictus non ducet uxorem nec in hoc seculo, nec in futuro; E. quidam tamen Monachi in futuro seculo uxores ducent eruntque asini; sic nec sequitur: Peccatum in Spiritum S. non remittetur nec in hoc seculo nec in futuro, E. aliquid tamen remittetur in futuro seculo, nedum in specie; (multo enim minus à genere ad speciem v. c.) in purgatorio, in hoc alioquin & peccatum in Filium hominis remitteretur, cum tamen per Pontificiorum

hypothese non remissio mortalium sed satisfactio pro venialibus obtineatur. \* Irremissibilitatis ita intrinseca causa est nec defectus gratiae Rom. V. 20. nec Meriti 1. Joh. I. 7. II. 2. sed omnium salutis mediorum improba ac contumax rejectio.

XXXVIII.

Aut, sequentia verba nec praeceptiva sunt nec monitoria, nisi talia velis & reliqua *facite arborem malam facite* id est, supponite ac statuite me esse arborem bonam, verum Thymaturgum, & agnoscere vos oportebit fructum ejus bonum seu opera mea esse miracula verè divina, aut facite, id est, cense me esse arborem malam seu impostorem plusquam Samaritanum, conf. Joh. IIX. 48. & fructum ejus deprehendetis malum opusque planè Beelzebubicum. At miraculum meum quo demonium eeci, tale est, quale & à filiis veteris subinde patrat vobisque probatur, v. XXVII. E. ego arbor sum æquè bona siquidem ex non foliis sed fructibus agnoscitur arbor. Fides operibus demonstratur. Jac. II. v. 18. Matth. V. 16. Luc. VI. 45.

XXXIV.

Progenies viperarum Pharisei in corde venenum aculeos fovebant in ore Psalm. CXL. 4. **Quomodo potestis bona loqui cum sitis mali!** \* Mali corvi mala ova. 1. Sam. XXIV. 14. Jer. XIII. 23. Matth. VII. 16 ex abundantia enim cordis os loquitur. Sermo character animi v. XXXVII. Psalm. CXXXIV.

XXXV.

Bonus homo de bono thesauro profert bona. \* Effectus Renovationis sunt bona opera. Matth. V. 16. Jac. II. 18. Joh. XV. 2. *vid. Hülsemann. Brev. C. XVI. 5. pag. 280.* & malus homo de malo thesauro profert mala.

mala. \* Peccati originalis foetus sunt peccata actualia. Matth. VII. 17. 18. XV. 19. Jac. I. 15. *vid. Gerb. L. de Pecc. Orig. §. 124.*

XXXVI.

Dico dictum legale autem vobis adeoque peculiare solis impoenitentibus malaque ex malo thesauro promentibus, v. XXXIV. quoniam omne verbum otiosum quod aut utilitate rectitudinis aut ratione iusta necessitatis caret, definiente ex P. P. ita G. Voëtio P. III. Disp. pag. 12 15. quod locuti fuerint sine subsequâ pœnitudine homines. E. nullum datur peccatum in se veniale, Deut. XXVII. 26. Matth. V. 19. Jac. II. v. 10. rationem reddent postulabantur à DEO æternæ damnationis vers. XXXVI. de eo mitior titulus, quod reddenda tantum rationis mentio, non autem pœnæ sit æternæ, peccatum arguit non veniale sed tantum graduale, occurrit enim & de blasphemis 1. Pet. IV. 5. in die iudicii condemnatorii vers. XXXVII. quod pœnitentes non ingredientur Joh. III. 18. V. 24. impoenitentes verò non sustinebunt. Job. IX. 3. Psalm. CXXX. 3. N. V. C. ommissio verbi otiosi nos facit securos in iudicio per modum iudicii, E. hoc sola non præstat fides per modum instrumenti. Dein Lex requirit non tantum mali omissionem sed & boni præstationem. *vid. B. Osiand. Lect. 1. p. 221.*

XXXVII.

Nam non tam ob verba tua quam ex verbis tuis in foro humano justificaberis justificatione causæ, At quid hoc ad justificationem personæ in foro divino? & xj disjunctivè capiendum, ut Matth. X. v. 37. cum præsertim justificationis & condemnationis par ratio non sit, unico enim verbulo lex violari potest, Jac. II. 10. III. 2. impleri non item, ex verbis tuis condemnaberis. \* Verbis quisque suis iudicatur *αυτοκατάκα-*

E 3

τάκα-

καυσιος 2. Sam. XII. 5. 7. 1. Reg. XX. 40. Prov. XII. 13.  
Jer. XXIII. 26. Sap. I 9. Luc. XIX. 22. Tit. III. 11.

XXXVIII.

Tunc responderunt ἀπεκρίσασθαι idem sæpe est ac simplex dicere Matthi. XVII. 4. Joh. II. 18. quidam Scribarum ac pharisaorum Adeò temerarium est infidelium ingenium, ut DE-UM tentare ipsique præscribere miracula ausit, Luc. XVI. 27. 30. dicentes: Præceptor velimus signum majus, sublimius & quod foret de cælo, Marc. VIII. 11. Luc. XI. 16. qualia describuntur. Joh. VI. 31. Jos. X. 13. Jes. XXXVIII. 8. ex te videre. \* Signa petere curiosè, præsertim in tantâ Evangelij luce haud licet. Luc. XXIII. 8. Joh. IV. 48. 1. Cor. I. 22. vid. Balduin, in Zach. VI. p. m. 1504.

XXXIX.

Qui respondens ait illis: Generatio prava & adultera à fide Abraham degenerans Jes. LVII. 3. Matth. XVI. 4. quærit non in fidei confirmationem sed ex incredulitate signum, non dabitur ei è cælo nisi è profundo, resuscitatio mea, quam præfiguravit signum Ionæ qui ex ceto reversus Nivitis annuntiavit exitium. \* Contumaces veritatis hostes tum realem merentur castigationem, tum verbalem, Jes. I. 10. 20. Act. VII. 51.

XL.

Quemadmodum enim Jonas signum vivus fuit Ninivitis in ventre ceti. Uti quidem Jonas suo discrimine redemit omnes, cap. I. 15. sic morte suâ quoque Christus, Ioh. XI. 50. uti etiam cetus Ionam reddere fuit jussus, cap. II. 11. sic nec Christus detineri à morte potuit. Act. II. 24. comparationis gemen tertium in solâ constituitur morâ: tres dies & tres noctes ultra tertium hoc comparatio extendenda non est, ita erit Filius hominis sic Christus in triduo mortis quoque verus homo

homo audivit atque fuit, conf. Ebr. V. 6. vid. Danhau. Hodof. p. 629.  
 Dissp. Lukemanni, ac utriusque Meisneri. in corde cor notat  
 non semper centrum seu intimum ab extremis æqualiter distans,  
 sed ut ad sinistram dependet ac declinat, sic metaphoricè signi-  
 ficat, quicquid extremis alicujus rei circumcluditur, Ion. II. 4.  
 ut Tyrus non procul à terrâ distans Ezech. XXVII. v. 3. dicitur  
 tamen fuisse in corde maris. 4. 25. XXX. 19. quòd aquis undi-  
 quaque fuit circumdata terræ quæ nec limbum notat nec in-  
 fernum, inibi enim per triduum divertisse Christum quis dicat  
 Frustra excipit Bellarm. lib. IV. cap. 12. de Animâ Christi: Si-  
 cut Jonas fuit vivus in ventre ceti, ita aliquid vivum debuit  
 esse in corde terræ at in sepulchro fuit corpus mortuum, non igitur  
 cor terræ est sepulchrum sed infernus sepulchro inferior, f. m.  
 448. Pariter enim colligas, si ultra tertium comparationem ex-  
 tendere liceret: Sicut Jonas fuit vivus in ventre ceti & amictus  
 & ob propriam culpam, sic Christus quoque tum corpore tum  
 animâ in inferno fuit animatus, vestitus & ob culpam propriam,  
 tres dies & tres noctes hæ non in oppositione ad se invicem  
 sed in complicatione ut partes ponuntur, triaque *νυχθημερα* synecdo-  
 chicè significant, spatium scilicet vix 35. horarum, quod intercessit ve-  
 sperem diei veneris seu sepulturæ Christi inter, & summum mane diei  
 dominici seu Resurrectionis, Hof. VI. 2. 1. Cor. XV. 4. sic tres dies  
 & tres noctes sæpe ponuntur synecdochicè, ubi integra nox decit. 1.  
 Sam. XXX. 12. Coll. 13. Esth. IV. 16. coll. V. 1. Luc. II. v. 37.  
 Quid? ante terminum promissione definitum rem promissam præ-  
 stare laudandæ est bonitatis, non vanitatis accusandæ. vid. Lang.  
 de Feria Passionis Christi p. 48. & Dissp. Mæbii p. 102.

XLI.

Homines Ninivitæ dudum in cineres redacti surgent  
 in iudicio cum illa gente Iudæorum induratâ signorumque  
 cupidâ, en argumentum resurrectionis universalis, quâpii non ante  
 sed eodem tempore cum impiis reviviscant, conf. 1. Thess. IV, 16.

& condemnabunt eam adeò contumaciter impœnitentem, quod resipuerunt ad præconium Ionæ hominis peregrini nulloque signo clari, & ecce plusquam Ionas qui quidem minas prædicavit sed non solas 2. Reg. XIV. 25. hîc Antitypus ac Propheta ille Magnus; \* quo major est gratia, quæ contemnitur, eo gravior ira erit ac condemnatio Ez III. 6. 7. XVI. 5. Rom. II. 27.

XLII.

Regina austri 1. Reg. X. 1. surget cum gente ista alias ad iunera ejusmodi sacra soli inter Judæos masculi tenebantur. Ex. XXIII. 17. & condemnabit eam, quinimò & peregrinantes in Papatu ad loca Sanctorum, & illos qui in Ecclesiâ quoque nostrâ stertentes conventus negligunt sacros Eb. X. 25. quod venit à terminis terræ Salomo cœlestis & ex longinquo est adeundus, conf. 2. Par. XXXII. 3. 1. Jes. XLIII. 6. Math. II. 1. Marc. VIII. 3. Luc. II. 41. X. 24. Joh. XII. 22. Act. VIII. 27. auditum sapientiam Salomonis non tantùm in Physicis & politicis sed & sacris, 1. Reg. X. 9. conf. Prov. VIII. 35. XIV. 27. & ecce hic plusquam Salomo Sapiencia quippe Hypostatica Prov. VIII. 12. Col. II. 3. filiusque non Davidis tantùm sed ipsius Dei. Matth. XXII. 43. vid. Danhan. Lac. Catech. V. p. 1209.

XLIII.

Cum autem Spiritus immundus qui rebus delectatur immundis Matth. VIII. 31. exierit verè ab homine corporaliter obsessò perambulat loca fluentis rore gratiæ cœlestis egentia atque arentia ac deserta. Solitudo est plena periculi Coh. IV. 10. Ies XIII. 21. quærens requiem & non invenit eam Apollyon nullibi cessat, Ap IX. 11. XII. 12. peripateticus indefessus Iob. I. 7.

XLIV.

Cum dicit: Revertar in domum meam unde  
exivi

exivi  
suam  
dicens  
vacan  
pharisa  
nament  
XVIII.  
per. Di

bono  
supera  
VIII. 2  
conf. l  
isti m  
bolus  
mox p  
quidem  
ruebant  
opus est  
1. Pet

ter Ma  
refutav  
brinis  
XV. 40  
v. 15. at  
v. 31. C  
Gallima

**exivi**, Tanta est diaboli arrogantia ut hominem domum jactet suam, ex eaque se vi fuisse ejectum ꝯ. XXI. dissimulet, tantum exiisse dicens. conf. Iob. XLI. 24. Matth. IV. 9. & reversus invenit vacantem sibi versam & ornatam vanâ præsumptione, fastu pharisæico operibusque hypocriticis, quæ omnia diabolum ceu ornamenta alliciunt. Tam facilis est fidelium relapsus. conf. Ezech. XVIII. 24. Matth. XIII. 21. Gal. V. 4. Eb. VI. 6. X. 26. v. Schmid pec. *Dis. d. Relapsu Erectorum.*

**XLV.**

Tunc abit & assumit secum VII. Spiritus non illos bonos Ap. I. 4. sed alios se nequiores quorum alii alios nequitia superant & ingressi habitant ibi uti in Maria Magdalena Luc. VIII. 2. 30. fiuntque ultima illius hominis pejora primis conf. Ioh. V. 14. 2. Petr. II. 20. 21. 22. sic etiam erit genti isti malæ Pharisæorum signum quærentium ꝯ. XXXIX. Nam diabolus quidem per verbum & sacramenta ab ipsis fuerat Pulsus, sed mox per socordiam denuò admissus unde usque in pejus, ex peccato quidem adversus filium hominis, in peccatum adversus Spiritum S. ruebant ꝯ. XXXI. \* Summa itaque cura, sollicitudine ac vigilantia opus est, ne diabolus nos circumveniat. Eph. VI. 11. Phil. II. 12. 1. Petr. V. 8. *vid. Gomar. Opp. f. 66 67.*

**XLVI.**

Dum autem adhuc loqueretur turbæ, ecce Mater Maria & fratres non ex Maria virgine, uti visum Helvidio, quem refutavit Hieronymus T. III. f. 5. sed ex Maria Cleophæ i. e. confortini, Jacob minor, Jose, Iudas & Simon, Matth. XXVII. 56. Marc. XV. 40. ejus nam & cognati audiunt fratres Gen. XIII. 8. XXIX. v. 15. astiterunt foris, quærentes satis intempestivè Marc. III. v. 31. cum ipso loqui docentemque interpellare. \* Nec sanctissima virgo sine omni fuit labe. conf. Luc. II. 44. 49. Ioh. II. v. 5.

**XLIX.**

Dixitque aliquis rem ei haud ingratam facturus, ecce Mater

Matertua & fratres tui foris stant, quarentes tecum loqui \* loquendum est *ἐν αἰψῶς*. Prov. XV. 23. XXV. 11: fel. L. 4. Coh. III. 1. 7. Syr. XX. 1. XXII. 6. quandoque tamen in-standum est & *ἀναίψῶς*. 2. Tim. IV. 2. *conf. Adaz. II. Del Rio pag. 371. & Roa Singul. II. p. 49.*

XLVIII.

At ille respondens dixit indicanti sibi: **Quæ est Mater mea?** non negat Christus matrem, nedum se esse hominem, quod ex h. l. probare voluit Marcion, Matrem enim negare si intendisset, fecisset id & aliàs, præsertim, cum ipsi exprobraretur Mater, Matth. XIII. 55. & qui sunt fratres mei? ut propter hos & illam officium abrupti sacrum oporteat. Idem dicit Christus modernis Mariæ Sanctorumque Idolatris: *Quæ est Mater mea? & qui sunt fratres mei?*

XLIX.

Et protendens manum suam in discipulos seu auditores suos dixit: **Ecce mater mea** Gal. IV. 19. *conf. Ap. XII. 5. & fratres mei* In Christi familiâ nulla carnis est prærogativa. Luc. XIV. 26. XI. 27. 28. Rom. IX. 7. 2. Cor. V. 16. Gal. III. 28. Act. X. 35.

L.

**Quisquis enim fecerit voluntatem Patris mei in coelis,** quæ est ut credamus, Joh. VI. 40. XI. 21. 23. XV. 14. ille meus frater & soror & mater est. Propinquitas illa & unio Christi mystica summa Nobilitas est. Psalm. XXII. 23. Cant. VIII. 1. Joh. XX. 17. Rom. VIII. 17. Eph. I. 5. Ebr. II. 11. Hinc etiam Augustinus: *Beatior Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi; d. S. virginis: c. 1. & mox cap. II. Materna propinquitas nihil Maria profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset. Tom. VI. fol. m. 812.*

T A N T U M

Fr. Edm.

St. Maria

St. Michael

St. Johannes

St. Peter

St. Paulus

St. Agathe

St. Barbara

St. Ursula

St. Katherina

St. Margarethe

St. Elisabeth

St. Anna

St. Maria

St. Joseph

St. Martin

St. Nikolaus

St. Leonhard

St. Vitus

St. Gallus

St. Erasmus

St. Wendelin

St. Kilian

St. Exuperantius

I, A

